

## DUBIUM V.

*Utrum in Deo detur alia processio per voluntatem: Et an sit generatio: Et cur non sit?*

**P**ostquam D. Thomas art. 2. huius quaest. elucidavit processionem Verbi, art. 3. immediate sequenti inquit: *Utrum in divinis sit alia processio à generatione Verbi?* Et art. 4. *Utrum processio amoris in divinis sit generatio?* Vnam, & aliam difficultatem sub vno eodemque dubio comprehendimus, quamvis illud dividamus in diversas assertiones. Pro quo fiti

## §. I.

## Assertio prima.

**92** **D**icendum est primò, præter Verbi divini generationem dari intra Deum processionem aliam per voluntatem, per quam tertia persona divina, scilicet Spiritus sanctus, procedit. Hanc conclusionem esse de fide plura Evangelij testimonia ostendunt: Nam Ioann. 13. dicitur: *Spiritus, qui à Patre procedit.* Et 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* In quibus locis dicitur, Spiritum sanctum procedere à Patre, & esse alium in persona à Filio: ergo procedit diversa processio à processione Filij: ergo procedit per voluntatem. Patet hæc ultima consequentia: Tum quia per intellectum nequit procedere in Deo nisi vnicæ tantum persona, cò quòd est infinita. Tum etiam: quia in natura pure intellectuali præter processionem per intellectum nequit dari alia nisi per voluntatem. ¶ Et confirmatur ex symbolo Niceno; ubi hæc veritas catholica definita est his verbis: *Credo in Spiritum sanctum, qui à Patre, Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur.* Et ex symbolo Atanasij, ubi dicitur: *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Et quòd persona procedens per hanc secundam processionem sit Deus ( præterquam quòd constat ex prædictis symbolis ) clarè demonstrat Aug. Mag. 4. Contra gent. cap. 17. discursu sequenti: Nam quòd non est extraneæ naturæ à Deo, Deus est; sed Spiritus Dei non est extraneæ naturæ ab ipso Deo: ergo Deus est. Minor probatur: Spiritus Dei se habet ad Deum, sicut spiritus hominis ad hominem, vt docet Apóst. 1. ad Corinth. 2. Sed Spiritus hominis non est extraneæ naturæ ab homine, vt ex se constat: ergo nec Spiritus Dei est extraneæ naturæ à Deo.

**93** Et statuetur congruentia satis opportuna, qua vitur D. Thomas 4. Contra gent. cap.

19. in præf. art. 3. & infra quaest. 37. art. 1. ubi ait: *Sicut ex hoc, quòd aliquis rem aliquam intelligit, provenit quedam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, que dicitur verbum; ita ex hoc quòd aliquis rem aliquam amat, provenit quedam impressio ( vt ita loquar ) rei amata in affectu amanti, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente; sed quia in creatis quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, producit verbum, probavimus dub. 1. dari in Deo processionem Verbi per intellectum: ergo cum in creatis, quicumque amat, producat impulsus, necesse est asserere, quòd in Deo datur alius terminus procedens per voluntatem, qui dicitur Spiritus sanctus. Consequentia patet: tum à paritate: tum quia non est cur processio per intellectum sit deudabilis ab omni imperfectione, & non processio per voluntatem.*

Ratio verò, cur persona procedens per voluntatem appellatur Spiritus sanctus, traditur à D. Thoma 4. Contra gent. cap. 23. & in hæc 1. part. quaest. 36. art. 1. his verbis: *Nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsivum quandam & motionem significare videtur. Nam statum & ventum spiritum naminamus. Est autem proprium amoris, quòd movet, & impellit voluntatem amanti in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, que in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus sanctus nominatur.*

**94** Sed contra prædictam congruentiam obijcies eua Valentia: Primò ex D. Thoma q. 4. de Verit. art. 2. ad 7. ubi ponit hoc discrimen inter intellectum, & voluntatem, videlicet quia obiectum intellectus est verum, quòd est intra intellectum, datur aliquod progrediens per modum rei operatæ: quia verò voluntatis obiectum est bonum, quòd est in rebus, non datur aliquod progrediens nisi per modum operationis. ¶ *Secundò:* Nam iuxta eundem D. Thom. quodlib. 5. art. 9. ad 2. sensus externi non producent aliquid terminum: non alia ratione, nisi quia feruntur ad res, prout sunt ad extrà: ergo cum hoc habeat voluntas, prout distinguitur ab intellectu, non debet producere aliquid terminum. ¶ *Tertiò:* Nam falsum est, quòd amatum est in amante: siquidem non est in illo secundum suam esse naturam, vt ex se liquet: nec secundum suam esse representativam, quia hoc est proprium intellectus: nec secundum aliquam virtutem à se derivatam, quia obiectum non dat voluntati vires ad amandum; non est alius modus: ergo. ¶ *Tandem:* Quia si ille impulsus daretur, non posset non esse obiecto ratio formalis terminandi motum amanti, cum in illo consisteret amari passivè sumptum, sicut in verbo intelligi; hoc nequit dici de voluntate: ergo non datur.

Pro-

**95** Pro horum solutione: Nota primò discrimen inter actionem transeuntem, & immanentem: nam actio transeuntes & eius obiectum est omninò extra ipsum agens; actus verò immanens & eius obiectum petunt esse intra potentiam, & quòd potentia fuerit perfectior, cò incipit debet in ea contineri. Hinc oritur, quòd quia actio vegetativa est inferioris ordinis inter actiones immanentes, eius obiectum habet infimam conjunctionem cum suo principio, iuxta Complut. abbrev. disput. 7. de Anim. quaest. 1. Et quia actio sensitiva est ordinis altioris precedenti, si fuerit omnium infima, vt actio sensus externi, habet obiectum partim intrà, & partim extrà: intrà in ratione obiecti motivi; extrà in ratione obiecti terminativi. Et quia actio ordinis sensitivi interni, & præcipue intellectivi, est omnium perfectissima, eius obiectum utroque modo petit esse intra potentiam: cum hoc tamen discrimine, quòd cognitionis obiectum debet esse, vel per suam substantiam, vel per sui similitudinem formalem; obiectum autem partis affectivæ non debet esse per suam substantiam, nec per similitudinem formalem sui, sed tantum per modum ponderis, inclinationis, & impulsus: quia ita exigit natura appetitus.

**96** Pro quo nota secundò, quòd tripliciter potest esse vnum in alio, vel per suam esse naturalem, sicut Filius æternus est in Patre, corpus in loco, forma in materia; vel per suam similitudinem, sicut obiectum est in intellectu per speciem impressam, & expressam; vel per quandam inclinationem aut pondus, sicut centrum est in gravi: quia vnuquodque dicitur esse in inclinatione ad ipsum.

Nota tertio, esse notam differentiam inter appetitum innatum, & elicictum, videlicet quòd cum obiectum sit intra potentiam, inquantum redditur illi proportionatum, & appetitus innatus sit determinatus ad vnum, lapis (v.g.) & ignis per suam levitatem, & gravitatem quati in actu primo, & secundo sunt proportionati ad suum centrum, quia sit necessarius aliquis terminus ponens proportionem, alias non essent passivi, sed activi, contra id quòd asserunt N.C. impl. abbrev. in lib. Physic. At voluntas est libera & activa, vt tradunt iidem PP. in lib. de Anim. disp. 17. num. 5. Per quòd datur intelligi, quòd in actu secundo non est sufficienter proportionata, nisi producat aliquid terminum.

Ex quo oritur aliud discrimen inter voluntatem, & intellectum, quòd cum voluntas sit potentia activa, per seipsam est inclinatio in obiectum in actu primo, ac proinde proportionata in actu secundo cum illo. At intellectus, cum sit potentia passiva, indiget specie, que se tenet ex parte actus primi, & est formalissime ipsum obiectum.

**97** Ex his respondetur ad obiectiones. Ad

primam enim, discrimen intantum à D. Thoma in illo loco non esse, quòd intellectus producit terminum, non verò voluntas. Sed quòd terminus voluntatis nec modum, nec nomen termini habet: non nomen, quia vocatur amor, qui est actus voluntatis; nec modum, quia in eo non fitit voluntas, sed potius ad hoc ponitur, vt medio illo feratur ad obiectum, quòd est extrà, in quo quandam similitudinem habet cum operatione transeuntem. Econtra verò, cum intellectus sit proprium trahere ad se res, terminus eius, qui significatur nomine verbi, & habet modum, & nomen termini. ¶ Vel dicatur: ideo poni à D. Thoma illud discrimen, quia terminus productus per voluntatem non habet rationem obiecti formaliter, sed rationem termini intermedij per se ordinati ad obiectum, in quo sapit conditionem actionis. Et ideo consultò dixit, quòd voluntas non habet aliquid nisi per modum operationis; & non dicit, quòd habet rationem operationis. In termino autem intellectus aliter contingit propter rationem proximè traditam. Ad secundam patet ex primo notabili, & ad tertiam ex secundo, quia sit necesse aliquid addere.

**98** Ad vltimam respondetur, quòd est de ratione termini producti per voluntatem sit amari, sicut de ratione verbi est intelligi: *Alter tamen & aliter* (sunt verba Ang. Doct. loco citato Contra gent. cap. 19.) *nam in intellectu est per similitudinem suæ speciei in voluntate est sicut terminus motus, sicut in igne quòdammodo est locus sursum ratione levitatis.* Ex quibus liquido constat differentiam inter terminum voluntatis, & intellectus: nam terminus istius ita habet esse intelligi, quòd in illo consistit formalissime obiectum, & est ratio formalis cur obiectum ad extrà intelligatur. Terminus autem istius ita est amari, quòd non fit ipsum obiectum formalissime, nec obiectum in illo formaliter ametur, sed tantum habet rationem cuiusdam obiecti intermedij amari, de cuius conceptu est, quòd ametur dependenter ab obiecto ad extrà tanquam à ratione formalis subqua.

Ex quo magis intelligitur, quomodo per amorem amans sit in amato, & econtra: Nam quatenus tendit ad obiectum ratione sui, & termini producti, amans est in amato: & hoc verificatur cum omni proprietate & magis principaliter, & propterea dicitur, quòd voluntas feritur ad res. At quatenus terminus est quedam virtus impressa, & causata in amante ab obiecto saltem in genere causæ finalis, amatum est in amante, vt supra dixit D. Thomas.

**99** Sed inquires: An amor beatificus producat hunc terminum, vel Deus communicetur per modum impulsus, ad modum quo vultur per modum verbi in visione beata? ¶ Ad quòd (omissa sententia affirmativa, & minus

pro-

probabili) responderet negativè cum Salmant. Ioann. à Sancto Thoma, Godoy, Ferre, & alijs. Et ratio est: quia idem venit per modum *verbi*, quia verbum ex suo conceptu formali non dicit egressionem & vitalitatem, sed tantam naturam obiecti: quare si obiectum ex se habet sufficientem actualitatem & immaterialitatem ratione sui, ut contingit in Deo respectu visionis beatæ, poterit uniri per seipsum, quin sit necessaria productio verbi. Sed terminus voluntatis essentialiter petit esse vitale & voluntarium; siquidem non continet formaliter naturam obiecti, sed tantam se habet per modum *ponderis* inclinantis voluntatem in ipsum obiectum, quare ratione magis se tenet ex parte potentie quam ex parte obiecti. Ergo nequit à Deo suppleri.

## S. II.

## Assertio secunda.

100 **D**icendum est *secundò*, processionem Spiritus-sancti non esse generationem. Hæc conclusio est de fide, sicut & præcedens. Definitaque est in symbolo Niceno, ubi de Christo dicitur: *Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum*. Et in symbolo Atanasij: *Spiritus-sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Idipsum colligitur ex sacro eloquio: nam Ioann. 1. dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre*. Etertertio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Constat autem aperte, quod si processio Spiritus-sancti esset generatio, & ipse genitus, Christus non posset appellari *unigenitus*: ergo processio Spiritus-sancti non est generatio.

101 Deinde probatur ratione (supposita fide) satis efficaci, qua vivit Div. Thomas in præf. art. 4. & ad quam alibi congruentia possunt reduci, vt infra patebit. Nam de ratione generationis est ex sua ratione formali producere terminum in similitudinem naturæ sui principij; sed processio Spiritus-sancti ex sua ratione formali non producit illum in similitudinem naturæ sui principij: ergo non est generatio. Consequentia est legitima: Et maior constat ex doctrina, & exemplo, quo vivit D. Thomas 4. Contra gent. cap. 23. ubi ait: *Quòd si homo faceret manibus alium hominem ex propria carne, licet faciens, & factus essent similes, non tamen essent Pater & filius: quia ad filiationem non sufficit similitudo utrunque, sed requiritur similitudo ex vi actionis ex suo conceptu formali propagativæ*. Minor verò probatur: Spiritus-sanctus procedit per voluntatem: ergo processio Spiritus-sancti ex sua ratione formali non producit illum in similitudinem naturæ. Antecedens supponitur: quia in divinis propter sui infinita-

tem non datur nisi una processio ex vi eiusdem potentie; aliunde in Deo non datur alia potentia præter intellectum, & voluntatem. Consequentia verò probatur ex discrimine inter intellectum, & voluntatem: eò enim intellectus producit formaliter terminum in similitudinem naturæ, quia constituitur in actu, per hoc quòd res intellecta est in illo secundum suam similitudinem; sed voluntas non constituitur in actu primo per similitudinem obiecti tanquam per propriam formam, sed ex eo quòd voluntas habet quandam inclinationem ad rem volitam: ergo processio Spiritus-sancti ex sua ratione formali non producit illum in similitudinem naturæ.

102 Ad hanc congruentiam potest alia reduci, quam adducit D. Thom. 10. de Potent. art. 2. ad 4. Natura divina solum communicat formalissimè per primam processionem (propterea enim in agente creato prima processio non est generatio, sed mutatio & augmentatio, quia ab initio suæ productionis non habet debitam dispositionem requisitam ad generandum: & propterea, estò habeat dispositionem sufficientem ad generationem, prius alterat materiam, quam generet, quia nequit operari nisi dependenter à materia, & dispositionibus eius, & quia non est immediatè operativa: & propterea tandem post primam generationem datur secunda, quia natura primi geniti est finita) sed processio Spiritus-sancti est secunda: ergo non est generatio. Hæc (inquam) congruentia reducit ad rationem proximè relatam: nam quia Verbum divinum procedit per intellectum, eius processio est prima, & quia Spiritus-sanctus per voluntatem procedit, eius processio est secunda: siquidem prior est intellectus quam voluntas, & prior intellectio quam volitio.

103 Ad eam reducit alia, quam adducit Ang. Doct. in 1. dist. 13. quæst. 1. art. 2. Et est huiusmodi: nam processio Verbi divini est ab una persona, & Spiritus-sanctus à duabus: ergo processio verbi est generatio, secus verò processio Spiritus-sancti. Pater consequentia: nam quia processio Verbi divini est ab una tantum persona, processio eius petit esse prima; econtrà verò, quia processio Spiritus-sancti est à duabus, nequit esse prima; sed quia processio Verbi divini est prima, est generatio: ergo processio Spiritus-sancti, quia est à duabus, non est generatio.

104 Præcipue rationi D. Thomæ respondet Vazquez, quòd licet de ratione voluntatis create non sit producere terminum in similitudinem naturæ obiecti, bene verò de ratione voluntatis divinæ. Sicut de ratione intellectus creati non est communicare formaliter terminum naturam in esse naturali, secus verò de ratione intellectus divini. Ratio verò, cur processio verbi est generatio, & non processio Spiritus-sancti, provenit

præ-

præcisè ex eo, quòd verbum procedit vt imago, quia procedit ad representandum Patri, & non Spiritus-sanctus ob oppositam rationem.

Contra est *primò*: Nam imprimis falsum est, quòd Spiritui-sancto communicetur formaliter ex vi processionis naturæ. Tum quia, ex eo quòd Spiritus-sanctus procedat per voluntatem divinam, tantum colligitur, quòd ex vi processionis communicetur voluntas divina per modum actus purissimi, sed optimè stat, quòd communicetur voluntas per modum actus purissimi, quin ex vi processionis communicetur natura divina, quia ad illud prius sufficit, quòd Spiritui-sancto communicetur formaliter totum id, quòd est de linea voluntatis: ergo ex eo, quòd Spiritus-sanctus procedat per voluntatem divinam, non sequitur, quòd communicetur illi formaliter natura divina. *Explicatur*: Nam si per impossibile voluntas divina separaretur à natura divina, & amaret, produceret impulsus, cui communicaret seipsum per modum actus purissimi: ergo signum est, quòd defectò non communicat formaliter Spiritui-sancto nisi ipsam voluntatem per modum actus purissimi.

Tum etiam: nam ex eo, quòd voluntas divina dimanet à natura divina, non sequitur, quòd sit Deus formalissimè, alias non dimanaret vt attributum: ergo ex eo, quòd sit divina, non petit communicare formaliter naturam divinam. Probatur consequentia: Nam processio Spiritus-sancti est *in voca*: ergo qua parte principij eius proximum est præcisè voluntas, debet ei formaliter communicari; & qua parte est identicè natura, debet ei communicare tantam identicè naturam divinam. Pater consequentia: alias terminus formalis esset perfectior suo principio proximo, ac proinde voluntas non esset causa principalis, sed virtus instrumentaria processionis Spiritus-sancti. *Tum denique*: Nam si intellectus divinus non esset ex vi proprie linee & formalissimè natura, ad summum communicaretur ex vi suæ productionis natura divina sub esse intelligibili, & sub esse naturali tantum identicè, vt dub. præced. præmonstratum est: non ergo, quia est intellectus divinus utrunque, communicat formaliter naturam divinam in esse naturali: ergo neque quia voluntas divina est divina, debet communicare formaliter naturam divinam.

105 Contra *secundò*: Nam implicatorium est; quòd Spiritus-sanctus procedat formaliter in similitudinem naturæ, quin procedat vt imago. Tum, quia ad rationem *imaginis* sufficit, quòd terminus procedat ex vi suæ processionis ad imitationem sui principij; sed eo ipso, quòd communicetur ei formaliter natura divina, procedit ad æquatè & formaliter in similitudinem sui principij: ergo procederet vt imago. Tum etiam: nam propterea Spiritus-sanctus non procederet vt imago, estò procederet formaliter in similitu-

dinem naturæ, quia ex vi processionis non procedit ad representandum suum prototypum; sed eo ipso, quòd procedat formaliter in similitudinem naturæ, procedit etiam ex vi processionis vt representativus sui principij tam ex intentione operis, quam ex intentione operantis, quia omne perfectè simile suo principio ex intentione operis, & operantis representat suum principium; vt contingit in imaginibus tam naturalibus, quam artificialibus: ergo idem quod prius. *Adde*: quia ad rationem *imaginis* non requiritur, quòd procedat ad representandum, eo tantum modo quo verbum representat, sed sufficit, quòd procedat ad representandum obiectivè; ad quod satis est, vt procedat vt quid simile suo principio, itaur, eo cognito tanquam obiecto, deveniat in cognitionem sui principij, vt contingit in creatis in filio naturali: ergo si Spiritus-sanctus procedit formaliter vt similis suo principio in natura, noa est cur non habeat proprie rationem *imaginis*. *Maximè*: Quia licet Pater, & Filius non se cognoscant Spiritui-sancto, cognoscunt se in Spiritu-sancto tanquam in correlativo habente eandem naturam: ergo si ex vi processionis communicatur ei natura divina, nihil ei deest, vt habeat rationem *imaginis*.

106 Respondent alij, quòd ad conceptum proprium *generationis* non sufficit, quòd Spiritui-sancto communicetur natura divina utrunque, sed sub conceptu *naturæ*; quamvis autem Spiritui-sancto ex vi processionis communicetur natura divina sub conceptu *essentie*, secus verò sub conceptu *naturæ*: eò quòd sub hoc conceptu explicat ordinem ad motum, & productionem; & Spiritus-sanctus non producit aliam personam.

Contra est *primò*: Quia ex conceptibus pertinentibus ad eandem lineam implicat, vnum communicari intra Deum, & alium non communicari, propter rationem traditam dub. præcedenti: ergo cum conceptus *essentie*, & *naturæ* in Deo pertinent ad eandem lineam, repugnat Spiritui-sancto communicari formalissimè vnum, & non alium. ¶ *Secundò*: Nam conceptus *naturæ*, proprie loquendo, potius explicatur per ordinem ad motum eius, in quo est, quam per ordinem ad terminum productum; sed Spiritui-sancto communicatur natura per ordinem ad intellectiorem, & volitionem: ergo si hoc habet ex vi processionis, communicatur ei formaliter sub conceptu *naturæ*. ¶ *Adde*: Quia verbo divino non solum communicatur conceptus *naturæ*, quia est principium Spiritus-sancti, sed etiam quia est terminus formalis processionis: natura enim non solum explicat hunc conceptum per ordinem ad motum activè sumptum, sed etiam per ordinem ad motum passivè sumptum, vt ex mille exemplis ex lib. Phisic. constat: ergo si natura divina esset terminus

for-

formalis processionis Spiritus-sancti, non solum communicaretur ei natura, sub conceptu essentia, sed etiam sub conceptu natura.

§. III.

Objectiones contra rationem D. Thomae.

107 Sed contra praedictam rationem obijciunt primo: Nam eo intellectu productit formaliter terminum similem obiecto, seu naturae, quia constituitur proxime potens elicere actionem per similitudinem obiecti; sed etiam voluntas determinatur per eandem similitudinem, nam cum sit potentia indifferens, non ab alio quam ab obiecto cognito petit determinari: ergo etiam productit formaliter terminum similem obiecto. Et confirmatur: Nam actus voluntatis sumit suam specificationem ab obiecto; sed non ab eo nisi quatenus habet rationem principij, seu formae ergo.

Ad objectionem respondetur, esse notam disparitatem inter obiectum intellectus, & voluntatis ad determinandas has potentias: siquidem voluntas solum determinatur ab obiecto extrinsece & in esse cognito; intellectus vero determinatur a suo obiecto intrinsece & in esse rei. Et hoc discrimine oritur aliud, nempe quod terminus intellectus debet evadere similis formaliter obiecto, fecus vero terminus voluntatis. Hae autem differentia nequit aliunde desumi, nisi ex eo quod est proprium intellectus trahere ad se res, & voluntatis ad illas ferri: & ex eo quod voluntas est potentia activa, & intellectus passiva. Per quod satis constat ad confirmationem. Pro cuius solutione videantur omnino, quae diximus tract. 2. disput. 2. numero 54.

108 Obijciunt secundo: Omne agens intendit producere terminum similem non solum principio proximo, sed etiam radicali; sed natura divina est principium quo radicale processionis Spiritus-sancti: ergo Spiritus-sanctus debet evadere formaliter similis in natura divina. Et confirmatur: Nam principium radicale perfectius insluit, quam proximum: ergo terminus potius debet assimilari formaliter principio radicali, quam proximo.

Respondetur negando maiorem, si intelligatur univ ersaliter de omni productione per omnes potentias, ut liquet in pluribus potentijis animae nostrae. Solum enim hoc competit illi potentia, quae per se est distincta a natura ad producendum modo propagativo, qualis est potentia generativa; vel illi quae ob specialem sui rationem est assimilativa, qualis est intellectus. Per quod constat ad confirmationem.

109 Obijciunt tertio: Nam producere terminum similem in natura non habet intellectus

divinus ex ratione communi intellectus; sed ex eo quod est intellectus divinus: ergo pariter quamvis voluntas divina ex eius ratione communi non producat terminum similem suo principio, bene tamen quia divina. Patet consequentia a paritate. Tum, quia voluntas divina, eo ipso quod sit divina, debet producere ens a se, seu increatum, ac proinde terminus productus debet esse formaliter Deus: sicut terminus productus per processionem creatam est formaliter creatura.

Ut huic objectioni fiat satis: Nota primo, quod quadrupliciter potest aliquid esse divinum. Primo enim modo aliquid est divinum, prout identificatur cum natura divina sub conceptu natura: & quod ita identificatur, est formaliter identice Deus. Secundo: quia natura divina per modum transcendentis transcendens tunc includitur in eo. Tertio: quatenus est divinum est predicatum commune & transcendens transcendentia rationis per omnes lineas divinas, per quam distinguitur a natura divina, quae transcendit per eas transcendentia rei: siquidem quod transcendit transcendentia rei, non fit eiusdem lineae cum eo, per quod transcendit, & remanet cum distinctione virtuali ab eo; sed quod transcendit transcendentia rationis fit eiusdem lineae cum eo, per quod transcendit, & remanet indistinctum omnino ab eo. Quarto potest aliquid esse divinum, prout dicit constitutum metaphysicum Deitatis tanquam quid pertinens ad suam lineam.

Nota secundo, quod aliquid esse ens a se, seu quid increatum, potest sumi dupliciter: vel ita quod non fit ab alio nec tanquam a causa, nec tanquam a ratione a priori; vel ita quod non fit ab alio tanquam a causa, quamvis fit ab alio tanquam a ratione a priori. In quibus hoc est discrimen, quod priori modo non solum dicit esse quid divinum & increatum utrunque, sed etiam per modum natura. Posteriori autem modo dicit esse quid divinum & increatum tanquam quid commune omnibus predicatis divinis.

110 Ex his respondetur ad objectionem negando maiorem. Nam intellectus divinus ob generalem sui rationem, & specialem habet producere terminum similem in natura: aliter tamen & aliter: siquidem consideratus secundum rationem communem intellectus habet producere terminum similem in natura sub esse intelligibili; sed consideratus secundum suam rationem peculiarem intellectus divini habet producere terminum similem tam sub esse intelligibili, quam sub esse naturali; non quia est divinus utrunque, sed quia est divinus quarto modo supra explicato. Ceterum voluntas divina, cum solum sit divina tribus prioribus modis, tantum producit terminum divinum, iuxta eodem modos, quibus ipsa est divina. Ex quo tan-

tum

§. IV.

Argumenta contra conclusionem.

113 Requiritur primo: Processio Spiritus-sancti convenit distinctio generationis viventium: ergo est generatio. Antecedens probatur: Nam est origo viventis a vivente, & a principio coniuncto, ut supponitur; insuper est in similitudinem naturae, cum habeat eandem numero naturam cum suo principio, ut fides docet: ergo convenit ei definitio generationis viventium. Respondetur, quod Spiritus sanctus non habet naturam formaliter & ex vi processionis, quod erat necesse ad formalissimam rationem generationis, sed tantum identice & materialiter.

114 Sed contra est: Spiritus-sanctus habet naturam divinam formaliter, & non tantum identice; sed illam habet per processionem: siquidem quidquid habet, non habet a se, sed per processionem ergo habet eam formaliter & ex vi processionis. Respondetur, aliud esse habere naturam divinam formaliter & per processionem, aliud ex vi processionis formaliter. Ad primum sufficit, quod natura divina sit aliis & in re in Spiritu-sancto, quomodo cumque eam accipiat per processionem: Ad secundum vero requiritur, quod ipsa natura sit terminus per se primò intentus a processione. Spiritus-sanctus habet quidem naturam divinam per processionem, quia est identificata cum amore & processio tamen illius non intendit illam per se communicare, sed tantum per accidens: & propterea non habet eam formaliter & ex vi processionis. Explicatur hoc exemplo: motus enim augmentationis in probabili sententia communicat partem substantiae, & quantitatis: & non propterea dicitur generatio partialis, quia terminus per se primò intentus tantummodo est pars quantitatis, nam pars substantiae solum ibi producit, ut subicit partem quantitatis, ac proinde non intenditur per se, sed ratione quantitatis.

115 Instabitis: quia in definitione generationis viventium non reperitur illa particula ex vi processionis: ergo si Spiritus sanctus habet naturam divinam per processionem, nihil ei deest ex omnibus, quae explicat praedicta definitio. Respondetur, illam particulam ex vi processionis imbibere in illis verbis in similitudinem naturae, quia verba definitionis debent accipi in sensu formalissimo: sicut de Adam dicitur, quod genuit Seth ad imaginem & similitudinem suam, in quo datur intelligi, quod ipsa similitudo in natura est terminus formalis processionis. Et si hoc argumentum haberet aliquam vim, etiam vrgeret contra Vazquez, cuius est: Eo quod dicit, ad generationem requiri, quod terminus procedat per modum imaginis; & hae

par.

tum potest colligi, quod producat formaliter terminum, qui sit divinus tertio modo; & quod producat terminum, qui sit divinus identice iuxta primum, & secundum modum. Ut autem formaliter produceret terminum similem in natura, videretur requirebatur, quod ipsa esset divina iuxta quartum modum, secundum quem intellectus est divinus. Et ex hoc apparet evidens discrimen inter intellectum, & voluntatem divinam. Per quod patet ad primam probationem consequentiam.

111 Ad secundam: Dicendum est, quod voluntas divina debet producere formaliter, ex eo quod sit divina, quid increatum seu ens a se, prout ens a se excludit principium per modum cause, sed non petit producere quid increatum, seu ens a se, prout excludit rationem a priori: se hoc requirebatur, ut terminus evaderet similis formaliter in natura. Neque instantia de termino producto per processionem creatam aliquid suadet. Quia conceptus communis omni creaturae petit, quod sit ab alio tanquam a causa, & tanquam a ratione a priori, eo quod creaturae supponunt omnipotentia, a qua tanquam a ratione a priori, & tanquam a causa oritur possibilitas omnium creaturarum, & propterea omnis productio creata producit suum terminum, prout est creatura, utroque modo. Ceterum, cum ens increatum possit dici increatum duplici modo supra insinuat, potest voluntas divina formaliter producere suum terminum, prout quid increatum excludit rationem cause, non vero prout excludit rationem a priori.

112 Obijciunt quarto: Nam de ratione voluntatis est producere terminum, qui sit unio amantis cum amato, siquidem amor est motus, per quem amans transformatur in amatum: ergo de ratione voluntatis divina est producere terminum, qui sit summa unio voluntatis cum Deo; sed summa unio cum Deo dicit summam identitatem cum natura divina: ergo processio per voluntatem divinam petit formaliter producere terminum similem in natura divina.

Respondetur, quod aliter discurrendum est de summa unione affectiva cum obiecto, ac de summa unione intellectiva. Hec enim debet esse summa tam ex parte principij adaequati, quam ex parte actionis & termini formalis absolute distinctione virtuali, eo quod sint eiusdem formalissimae lineae cum obiecto. In unione autem affectiva, est summa, res aliter contingit: quia hae unio pro formali consistit in ipso amore, seu inclinatione ad obiectum amatum, quae, ut supra dictum est, est de linea supponente adaequate lineam naturae, & distincta virtualiter ab ea. Et propterea non petit, quod eius terminus sit formaliter similis in natura.

particula non ponitur in prefata definitione. **116** Arguitur *secundò* (& erit replica contra dicta) Nam Spiritui-sancto communicatur per processionem naturæ Dei, ut nuper concessimus; sed communicatur formalissimè: ergo eius processionem nihil deest, ut sit generatio. Minor probatur: Spiritui-sancto communicatur formalissimè voluntas, seu amor divinus: ergo etiam communicatur ex vi processionis naturæ divinæ. Probatur consequentia: Nam actio, quæ per se intendit communicare suo termino proprietatem alicuius naturæ, per prius intendit communicare ipsam naturam; sed voluntas divina est proprietatem naturæ divinæ: ergo si Spiritui-sancto ex vi processionis communicatur voluntas divina, etiam debet ei formalissimè communicari natura divina. *Adde*: quòd si processio Spiritus-sancti communicat ei naturam divinam, saltem identicè erit generatio.

Ad argumentum respondet quidam domesticus, quòd amor divinus est terminus per se primò communicatus Spiritui-sancto tam in intentione, quam in executione. Sed hæc solutio & eius doctrina non placet: Tum quia non est necessarius iste singularis modus ad veritatem catholicam tuendam. Tum & præcipue: quia est contra commune placitum Theologorum, à quibus recedere temeritate non caret. Tum denique & urgentius: quia Spiritus-sanctus eodem modo habet in *se* fieri naturam divinam, ac in *facto esse* & in *esse* quieto: ne dicatur, quòd Spiritus-sanctus procedit duplici processione: vel quòd duplici modo habet naturam divinam, alio modo secundariò & per processionem, & altero à se. In *facto esse* autem habet eam per prius in executione quam voluntatem, quia per prius est Deus quam amor. *Quare*, missa hac solutione:

**117** Respondetur fatendo, quòd prius in executione communicatur Spiritui-sancto natura divina quam amor. Sed hoc non habet ex meritis suæ processionis: quia procedit per voluntatem, & processio per voluntatem intendit per se primò tam in intentione, quam in executione communicare suo termino amorem. Ratio verò, cur communicat ei naturam per prius in executione, est: quia amor, qui est illius terminus primarius in intentione, identificatur cum natura divina; & hæc est fundamentum amoris, sicut & aliorum attributorum. Unde tantum inferri valet, quòd natura divina communicat ei identicè & per accidens, factis verò per se & ex primaria intentione suæ processionis. Ex quo deduci potest insignis differentia inter processionem Verbi divini, & processionem Spiritus-sancti: quæ consistit in eo, quòd Verbo divino communicatur formaliter & ex vi processionis tam natura divina, quam omnia attributa; cum hoc tamen discrimine, quòd natura divina communicatur ei formaliter & pri-

mariò tam in intentione, quam in executione, & attributa secundariò: quia generatio perfecta intendit communicare per se & formaliter tam naturam, quam proprietates cum ordi in præscripto: in ea enim habet præcipue vim illud axioma: *Qui dat formam, dat consequentia formam*. Ceterùm Spiritui-sancto tantum communicatur formaliter & ex intentione processionis omnia pertinentia ad lineam voluntatis, alia verò prædicata tantum identicè titulo identificationis.

Ad additamentum respondetur, quòd aliter loqui debemus de processione passivè sumpta, ac de processione activè accepta. Si enim loquamur de processione passivè accepta, processio Spiritus-sancti nequit dici adhuc identicè generatio, sicut nec Spiritus-sanctus potest dici identicè filius. Processio enim passivè sumpta stat pro relatione productæ, ut diximus nam, **44.** & spiratio passiva, quæ est proprietatis Spiritus-sancti, distinguitur realiter à generatione passiva, quæ stat pro filiatione. Si verò loquamur de processione Spiritus-sancti activè sumpta, potest dici identicè generatio: non quia generatio illo modo producat Spiritum-sanctum, sed quia actio, per quam procedit, identificatur cum generatione.

**118** Arguitur *tertiò*: Spiritus-sanctus procedit ut Deus: ergo procedit per generationem. Consequentia tenet: nam si procedit ut Deus, communicatur ei formalissimè natura divina. Antecedens probatur: Nam procedit ut Deus Spiritus: ergo ut Deus.

Confirmatur: Spiritus-sanctus procedit ut *persona*: ergo communicatur ei formalissimè natura divina. Consequentia liquet: quia *persona* ex suo conceptu formali dicit naturam, ut satis proclamat eius definitio. Antecedens probatur *primò*: Spiritus-sanctus procedit ut *subsistens*: non attributo, quia attributum non est capax subsistentiæ, ut infra dicemus: ergo ut subsistens in natura; non creata: ergo divina: ergo procedit ut *persona* divina. *Secundò*: Spiritus-sanctus procedit ut *est*; est *persona* divina: ergo procedit ut *persona* divina. *Tertiò*: Procedit ut distinctus à Patre, & Filio; sed distinguitur per relationem, quæ constituit illum in ratione personæ divinæ: ergo.

**119** Ad argumentum respondetur, negando antecedens: quia non communicat ei formaliter constitutum Deitatis, quod est natura divina. Nec ex hoc sequitur, quòd non sit formaliter Deus: quia ad hoc sufficit, quòd alias habeat naturam divinam. Ad probationem, concessio antecedenti, negatur consequentia: Quia variatur appellatio: arguitur enim à prædicato indirecto ad prædicatum directum. Sicut si diceremus, *Homo incipit esse album*: ergo *incipit esse*, est mala consequentia propter diversam appellationem. *Ly Spiritus* est de linea attributa.

tali, seu quasi accidentali: *ly Deus* est de linea essentiali & substantiali. Unde non bene arguitur ab uno ad aliud. Et licet *ly Spiritus* non sit additum diminutivum in *esse rei*, bene tamen in ratione processionis.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quòd Spiritus-sanctus ex vi suæ processionis tantum procedit ut amor subsistens subsistentia relativa: ad quod sufficit, quòd sit substantia, prout contraponitur accidenti. Ad hoc autem ut procederet ut *persona*, requiritur, ut communicetur ei formalissimè natura divina. Neque est omnino verum, quòd attributa divina sunt incapacia subsistentiæ: nam aliud est, quòd non habeant subsistentiam propriam absolutam; & aliud, quòd non subsistant subsistentia absoluta naturæ: primum est absolute verum, quamvis oppositum sit probabile: secundum verò est falsum, quia attributa, utpotè subsistentia, subsistent subsistentia naturæ, sicut existunt illius existentia. Iuxta quam doctrinam nullum est inconveniens dicere, & à fortiori dicendum est, quòd subsistentia relativa, quæ est proprietatis constitutiva Spiritus-sancti, producat, ut ex vi processionis amor essentialis Dei incommunicabiliter subsistat: quod non tollit, ut identicè & per accidens Spiritus-sanctus procedat ut subsistens in natura, & ut *persona*.

Ad secundam respondetur, quòd Spiritus-sanctus procedit ut *est*, & secundum omnia quæ includit: cum hoc tamen discrimine, quòd cum includat naturam & amorem, naturam non recipit formalissimè & ex vi processionis, sed tantum identicè titulo identificationis: amorem verò recipit formalissimè & ex primaria intentione ipsius processionis. *Ad tertiam*: Respondetur, quòd ut Spiritus-sanctus procedat ut distinctus à Patre & Filio, sufficit, quòd procedat ut subsistens per propriam subsistentiam relictam distinctam à paternitate, filiatione, & spiratione activa. Verum quidem est, quòd prædicta subsistentia constituit personam ut naturæ divinæ communicata; sed hoc habet Spiritus-sanctus per processionem alias, non verò ex vi processionis.

**120** Arguitur *quartò*: Spiritui-sancto ex vi processionis communicatur existentia divina: ergo etiam natura divina: Consequentia patet: Tum quia natura divina est formalissimè suum existens. Tum etiam: quia est prædicatum pertinens ad lineam naturæ, & implicat communicari ad intrinsecum unum prædicatum alicuius lineæ, & reliqua eiusdem lineæ non communicari. Antecedens verò probatur: Nam omnis actio ex primaria sui intentione vel producit, vel communicat suo termino existentiam: ergo Spiritui-sancto communicatur ex vi processionis existentia.

Paul. I. beal. Salvi. Tom. II.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd existentia divina eo modo communicatur Spiritui-sancto, quo convenit amori essentiali Dei, ceterisque eius attributis. Existentia verò divina non convenit attributis tanquam quid eis per se primò debitum, neque tanquam quid pertinens ad eorum lineam, sed primariò convenit naturæ, & secundariò attributis. Et hoc sufficit, ut processio Spiritus-sancti non sit generatio: quia ad eam requiritur omnino, quòd natura divina sit terminus primarius illius. Neque est omnino verum, quòd omnis actio per se intendit producere, vel communicare existentiam suo termino productæ: ut liquet in actione productivæ materie primæ de novo productæ, corruptis speciebus sacramentalibus, à qua nec producitur, nec communicatur illi existentia. Sufficit ergo, quòd actio productivæ termini habeat aliquem nesum sive ab intrinseco, aut quocumque alio titulo cum actione productivæ & communicativæ existentie, aut cum ipsa existentia, ut in processione Spiritus-sancti contingit.

## S. V.

## Ultimum argumentum.

**121** Ultimò & urgentius arguitur. Nam terminus formalissimus voluntatis divinæ communicatur ex vi processionis Spiritui-sancto; sed terminus formalissimus voluntatis divinæ est natura divina: ergo ex vi processionis communicatur ei natura divina, ac proinde processio illius est generatio. Minor probatur: Nam terminus formalis voluntatis divinæ est impulsus; sed natura divina habet formalissimè rationem impulsus: ergo. Minor probatur: Quod terminat immediate actum amoris, est impulsus; sed natura divina terminat immediate amorem divinum, ergo. Minor probatur: Quia verbum rationale Dei producat ex fecunditate, obiectum intellectus divini, quod est ipsa natura Dei, est terminus immediatus intellectus divinæ: ergo cum Spiritus-sanctus producat etiam ex fecunditate, terminus immediatus amoris Dei debet esse obiectum illius: Tunc sic; sed natura divina est obiectum primarium voluntatis divinæ: ergo est terminus immediatus amoris divini.

Et confirmatur: Terminus formalissimus amoris est *amari*, sicut terminus formalissimus intellectus est *intelligi*: ergo sicut Verbo divino communicatur formaliter *intelligi*, ita Spiritui-sancto communicatur formaliter *amari*: iam sic; sed proprium est naturæ divinæ *amari*: tum quia *amari* est proprium obiecti voluntatis: tum etiam, quia est non minus actus purus in terminando voluntatem, ac est in ter-

minando intellectionem: ergo Spiritui-sancto communicatur formaliter natura divina.

122 Hoc argumentum cum sua confirmatione separatim proponimus, quia in eius solutione aliquantulum immorabimur propter sui apparentem difficultatem. Et imprimis destituitur omni vi, si nostra principia salutarerimus. Iuxta quæ debemus primò supponere, obiectum specificativum voluntatis divinæ non esse præcisè bonitatem essentia divinæ, sed bonitatem essentia, & attributorum, vt vidimus tract. 4. disput. 1. dub. 3. ¶ Secundo debemus supponere ex dictis tract. 3. disput. 1. dub. 4. obiectum intellectus divini esse solam essentiam, vt distinctam ab attributis & relationibus. ¶ Ex quibus sequitur primò, solam essentiam divinam esse *intelligi* primarium, habereque rationem *verbi* communiter dicti. Unde ex eo quòd Verbo divino communicatur formaliter *intelligi* divinum, optime colligitur communicari ei formalissimè naturam divinam. ¶ Sequitur secundò, quòd quamvis *amari* (quod est proprium obiecti vltimati, seu specificativi, & per se primò intenti) communicaretur formaliter Spiritui-sancto, solùm communicaretur ei natura divina sub ratione communis naturæ, & attributo; quod non sufficit, vt eius processio sit generatio: quia ad rationem generationis requiritur, quòd natura divina sub speciali conceptu *nature* sit terminus primarius illius, & attributa sint terminus secundarius, sicut in generatione creata natura est terminus primarius, & proprietates sunt terminus secundarius.

123 Hæc tamen solutio licet fundetur in doctrina aliàs vera, & satis solvat argumentum; non tamen est admittenda ea parte, qua docet *amari* (quod est proprium naturæ divinæ, seu obiecti vltimati, & coincidit cum fine) communicari formaliter Spiritui-sancto ex vi suæ processionis. Vnde aliter respondendum est: prænotando, ex his quæ diximus num. 99. quòd in omni amore creato producitur aliquis impulsus distinctus realiter tam ab actu, quam ab obiecto, estò bonitas divina sit obiectum primarium illius, & attingatur prout est in se, vt contingit in amore beatifico; non quia iste terminus sit necessarius ex indigentia obiecti, sed quia essentialiter est vitalis, tenenque se potius ex parte potentia, quam ex parte obiecti. Ex quo inferitur, quòd huiusmodi impulsus habeat rationem obiecti intermedij, & obiectum, quod habet rationem finis, tantum terminet extrinsecè amorem. Quare in divinis præter impulsum notionalem, qui est Spiritus-sanctus, debet dari alius impulsus essentialis, qui quasi producatur pro priori ad productionem Spiritus sancti. Sed quia iste terminus est formalissimè de ipsa linea voluntatis, idemmet amor est formaliter emittentur absque distinctione virtuali voluntas,

actus, & impulsus essentialis. Ex his facile apparet, quòd natura divina non gerit in Deo, sicut nec in amore beatifico, munus *impulsus*: ac proinde, ex eo quòd impulsus essentialis communicetur formaliter Spiritui-sancto, non debet ei communicari natura divina.

Per quod constat ad confirmationem: nam ex eo quòd *amari* communicetur Spiritui-sancto ex vi suæ processionis, non sequitur communicari eodem modo naturam. Pro quo nota: quadruplex *amari* posse excogitari in Spiritui-sancto. Primum est proprium Spiritus-sancti, seu impulsus notionalis, ad modum quo in Verbo divino datur quoddam *intelligi* notionale & proprium ipsius verbi. Secundum est proprium obiecti, seu finis, id est natura divinæ, & omnium que ad obiectum primarium spectant, eo etiam modo, quo in Verbo divino datur *intelligi* proprium & intrinsecum naturæ divinæ. Tertium est extrinsecum obiecto, & consistens in denominatione extrinsecæ proveniente ab actu amoris, sicut *intelligi* ab intellectione, & *videri* à visione. Præter hæc datur aliud, quòd est proprium impulsus communiter dicti, qui est terminus, vel quasi terminus immediatus, seu obiectum intermedium voluntatis. Igitur Spiritui-sancto ex vi processionis tantum communicatur *amari*, quòd est proprium impulsus: *amari* verò quòd est proprium finis, præcisè communicatur identicè: quia non est terminus immediatus & intrinsecus voluntatis, cum non sit de linea voluntatis.

124 Nec refert, si dicas, quòd Verbum divinum non habet nisi triplex *intelligi*, aliud extrinsecum, quòd provenit ab actu; & aliud intrinsecum, quòd est proprium obiecti seu naturæ; & aliud notionale: ergo idem dicendum est de *amari* reperto in Spiritui-sancto: ergo ex his solùm *amari* proprium naturæ divinæ communicatur illi formaliter.

Respondetur, concedendo antecedens; & negando vtranque consequentiam, propter superioris dicta. Nam inter actum intellectus & eius obiectum, quando est infinitum, & actus purus, & attingitur prout est in se, non debet mediare aliquod verbum communiter dictum, quòd gerat munus obiecti intermedij: quia obiectum intellectus tantum petit terminare intellectionem sui vel per seipsum, vel per sui similitudinem formalem, & quando per seipsum vnitur immediatè, vt contingit in visione beata, & in visione divina, superfluum est aliud obiectum intermedium, seu *intelligi*: quare non debet dari nisi triplex illud *intelligi*. Ad inter obiectum voluntatis, & eius actum debet semper mediare aliquis terminus per modum ponderis & obiecti intermedij. Vnde præter tria *amari* correspondentia tribus *intelligi*, debet interponi aliud proprium istius termini intermedij: & hoc est, quòd formaliter communicatur Spiritui-sancto.

Hoc

Hoc autem discrimen desumitur ex diversa natura intellectus, & voluntatis: siquidem de ratione illius est trahere ad se res, & de ratione istius ferri ad res mediante impulsu.

125 Sed quia N. Salm. in hoc tract. disp. 3. n. 39. admittit vt *probabile*, essentiam divinam suppleri defectum impulsus in amore beatifico, sicut supplet defectum verbi in visione beata: Respondetur tertio, quòd adhuc in hac suppositione natura divina non debet communicari formaliter Spiritui-sancto. Et ratio est: quia prima intentio voluntatis est communicare amorem Spiritui-sancto; aliunde processio, vt potè divina, & perfectissima in sua linea, debet esse univoca, non minus propriè quam processio verbi in sua: Et cum voluntas & volitio Dei non sint tantè immaterialitatis, vt sint suum esse absque distinctione virtuali; hinc est, quòd natura divina non debet communicari formaliter Spiritui-sancto, quamvis suppleat defectum impulsus communiter dicti. Neque reverà natura divina, adhuc prædicta sententia admissa, habet propriè rationem *impulsus*, licet propriè habeat rationem *verbi*: quia de ratione verbi est, quòd sit formalissimè ipsum obiectum: quare si verbum non producitur, ipsam obiectum vnitur per modum *verbi*: At impulsus non est ipsum obiectum formalissimè, cum non sit similitudo formalis illius. Unde si obiectum terminat immediatè volitionem, non est, quia in toto rigore gerat munus *impulsus*, sed præcisè impedit, ne producatur, quia non est necessarius propter summam unionem affectivam inter voluntatem & eius obiectum.

Iuxta quam solutionem respondetur confirmationi, quòd *amari* non communicatur formaliter & ex vi processionis Spiritui-sancto, estò *intelligi* communicetur Verbo divino. Et ratio discriminis est: quia *intelligi* & *intelligere* sunt formalissimè idem, & idem est communicari *intelligi* ac *intelligere*. At *amare* & *amari*, quòd est proprium finis, non sunt formalissimè idem; & cum processio Spiritus-sancti sit univoca, & eius intentio sit communicare amorem, non sequitur, ex eo, quòd hic communicetur, vt communicetur etiam *amari*. Cum quo rectè coheret, quòd *amari* communicetur formaliter adhuc sensum, nempe quatenus ex hoc quòd aliquis amat aliquid, consequenter amat se amare, vt tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 15. art. 2. Iuxta quòd *amari*, quòd est proprium ipsius amoris, communicatur Spiritui-sancto. Sed hinc ineptè potest deduci, quòd *amari* proprium naturæ divinæ communicetur ei formaliter propter rationem suprà traditam, ac proinde quòd eius processio sit generatio.

Hic solet inquiri cum D. Thoma, an processionis intra Deum sint tantum duæ. Sed ad hoc quæsitum ex dictis satis constat, & ex infra dicendis disput. sequenti magis constabit.

## DISPUT. II.

## De Relationibus Divinis.



Resolutis ijs quæ ad processiones tam in communi, quam in particulari spectant, procedimus, vt in præmio huius tractatus promissimus, ad elucidandas divinas relationes. Sed in limine huius disputationis prænotare libet, quòd plura, quæ ad distinctionem earum à natura divina, & ad inclusionem istius in illis declarandam desiderari poterant, & sunt propria huius loci (siquidem D. Thom. art. 2. huius quæst. 28. quam explanare curamus, determinatè inquirat, *utrum relatio sit idem quòd sua essentia*?) iam enucleata manent tract. 1. disp. 3. vnde quòd primò inquirimus, est:

## DUBIUM I.

An dentur in Deo Relationes reales: Et an distinguantur realiter inter se?

Hæc duo sub eodem dubio comprehendimus, vt brevitatè consulamus: quòd claritatis gratia in tres assertiones dividimus.

## §. I.

## Assertio prima.

1. Diccendum est primò, dari in Deo relationes reales. Hæc assertio est de fidentum, quia sic docet D. Thom. q. 8. de Potent. art. 1. vbi ait: *Respondendo dicendum, quòd sententiam fidei catholica sequentes, oportet dicere in divinis relationes reales esse*. Idem docet 1. ad Annib. dist. 26. quæst. 2. art. 2. quibus addit: *Aliiter necesse est incidere in hæresim Arii, vel Sabellij*. Tum & precipue: quia clare deponitur ex Scriptura: etenim Math. 18. præcipitur Apolloni homines baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti. Quæ nomina sunt relativa, seu relationes significantia. Accedit ad hæc Conciliorum authoritas: nam in Florent. sess. 18. dicitur: *Solam relationem multiplicare personas*: quod antea Concil. Tolet. 11. in Confessione fidei expresserat.

Et probatur ratione D. Thomæ in præfenti argument. Sed contra: Pater in divinis est realiter Pater, & Filius realiter Filius; sed Pater est talis à paternitate, & Filius à filiatione: ergo in Deo sunt realiter paternitas, & filiatio; sed istæ sunt relationes apud omnes Logicos; ergo in Deo sunt relationes reales.

2. Respondetis primò, quòd Pater potest esse